

Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

Urkunden und Akten der Stadt Strassburg

Urkunden und Stadtrechte bis zum Jahr 1266

Wiegand, Wilhelm

Straßburg, 1879

845

[urn:nbn:de:bsz:31-326693](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-326693)

cultus amore favemus, superni muneris donum nobis a domino inpertiri minime diffidimus. igitur omnium fidelium sanctę dei eclesię^a et nostrorum presentium videlicet et futurorum conperiat industria, qualiter dilecta cognata nostra venerabilis sanctimonialis et abbatissa sancti prothomartiris^b Stephani Basilla^c in ambitu infra muros Argentorato majestatem nostram adiit offerens obtutibus nostris auctoritates^d et munimina cartarum illustris parentelę nostre progenitoris ducis Adalberti, qui fundavit jam dictum locum in parte suę hereditatis, quę sibi pertinuit inter ruinas veteris Argentorati, pro oportunitate solitudinis et juxta fluentis Brusci fluvii et dotavit eum prediis suis large pro remedio animę suę et parentum suorum ibidem adtributis et Atalam sacratissimam virginem abbatissam presidere ordinavit. et quemadmodum in eisdem insertum continebatur auctoritatibus, eundem locum per pragmaticam regis Childerici constitutionem prerogativa emunitatis libertate communiri inpetravit, ita dumtaxat, ut, salva per omnia reverentia sacrosancti antistitis, in cujus consistit territorio, nullus iudex publicus vel quislibet ex judiciaria potestate in loca vel agros seu reliquas possessiones, quas in quibuslibet pagis vel territoriis possidebat, nisi defensor, quem ipsius loci congregatio et abbatissa voluntarie a palacio inpetraverit, audeat ingredi ad causas audiendas, vel freda aut tributa exigenda, vel colonos vel fiscalinos^e homines ullo malo molestare. his itaque ita pertractatis et meritis piorum votorum in vita futura compensatis, talis munificentię expertem me futurum perhorruī et pię petitioni prefatę cognate nostrę . . .^f facilem prebui auditum. et sicut rogavit, facta antecessorum meorum scriptis et preceptis confirmavi et corroboravi et cōstitutiones ordinem rememorando renovavi, ut videlicet ibidem permaneat certus numerus quatuor canonicorum sacerdotum, ex quibus liceat idoneum echonemum, cum opus fuerit, accipere, et triginta sorores ad ministeria claustris peragenda cum congruis ministris et edituis intus et foris digne et fideliter ministrantibus. proinde vero eisdem confirmatis, hortatu et rogatu atque favore voluntario dilectissimę conjugis inperatricis augustę Hyrmingardis, collecta utriusque manu, stibulatione firma, donatione legitima tradidimus jam sepe dicto loco sancti Stephani prothomartiris ad stipendium fratrum canonicorum et sanctimonialium^g deo ibidem famulantium duodecim nominatas et dominicas curtes cum omnibus appendiciis suis et justiciis suis nobis in eis constitutis, videlicet basilicis, capellis, villis, vicis et antea tradita confirmavimus tam infra muros Argentoracenses quam in pagis. infra muros basilicam sanctę crucis; cum silvis, terminis et decimis Bothebūr et campis, pratis, pascuis, compascuis, aquis aquarumque decursibus et piscationibus et utriusque ripę litoribus juxta vel infra aut circa villam Skitingsdtböhel, cultis vel incultis, quesitis et inquesitis, quibuslibet vel usibus vel questibus aptis, servis, ancillis, colonis, fiscalibus^h, silvis, insulis, exitibus et redditibus et banno et cyppo. in pago Alsacinda Wanga cum suis appendiciis, campis, silvis, vinetis, rivis eorumque decursibus cunctisque justiciis. Othenhen, Nunnenwilre, Gundeneswilre in pago Martinhauga cum supradicto jure de Bothebūr et Skitingsdtbuel. in pago Prisgaudi Munzinga villa cum suis appensibus, basilica, vicis, terminis, decimis, campis, silvis, pratis, pascuis, compascuis, cultis, incultis, quesitis, inquirendis, mancipiis, servis et ancillis, colonis et fiscalinis tam de equestre quam pedestre ordine, banno vel cyppo, marcato et omnibus justiciisⁱ sicut ceteri meliores. cis Renum juxta fluvium Ylla noncupante Egeshein, Wibileshein in simili jure, sicut cetera supradicta, basilica, terminis usque ad fines Yllekiriche et Ryno et supra et inferius piscatum. in Bosenhen dominicam curtem, capellam et deci-

a) Unter den o in sancte und eclesie ein oben offnes a. b) B prothomartiris. c) Der Name durch mehrere Striche corrupt, B in R verwandelt, ebenso das erste a in u, hinter den beiden l ein d eingeschoben. Ueber die verschiedenen Lesungen vgl. Granddier l. c. not. a. d) B auctoritates. e) B fiscalinos. f) Lücke von 4—8 Buchstaben, wohl Basille zu ergänzen. g) B sanctimonialium. h) B fiscalibus. i) B justis.